

nomina acceperant, et promovit ad victoriam, Metaphrastes, apud Sur. I. aug. Has etiam imposuit filio suo Tobias; fidem, cum ait: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habet Deum*; spem, cum dixit: *Multa bona habebimus, si timuerimus Deum*; charitatem, cum ait: *Cave ne aliquando peccato*

consentias, et prætermittas præcepta Domini tui, Tob. IV. Hi sunt tres aurei illi globi, quos præferre manu solet S. Nicolaus; tria aurea tarenta, quibus vos, parentes, ditare potestis liberos vestros, ut simul cum ipsis vos quoque omnibus ac veris divitiis circumfluatis in cælis.

IN FESTO CONCEPTIONIS B. M. V.

EVANGELIUM. MATTH. I.

Liber generationis Jesu Christi Filii David, Filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam et fratrem ejus. Judas autem genuit Phares et Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esrom. Esrom autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David regem. David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa. Asa autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam. Josias autem genuit Jechoniam et fratres ejus in transmigracione Babylonis. Et post transmigracionem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoch. Sadoch autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

CONCIONES.

- I. Multiplex liber homini propositus.
- II. Quomodo sine injuria peccatum originale ad posterios. Adæ traducatur.
- III. Privilegia Deiparæ seu stellæ duodecim quibus a Filio coronata est.
- IV. Obsequiæ seu gemmæ duodecim quibus Deipara coronavit Filium.
- V. Quam similis Filio Deipara.
- VI. Qua ratione Maria contriverit caput serpentis.
- VII. Christi ortus cum ad ultimam mundi ætatem dilatus.

VIII. *Mysteria evangelica.*

CONCIONES AUCTARII.

- I. *Genealogiæ Christi effigies.*
- II. *Genealogiæ Christi ludo latrunculorum similis.*
- III. *B. Virgo castitatis, humilitatis et paupertatis magistra.*
- IV. *Qualis sit hic liber generationis Christi.*
- V. *B. Virgo lunæ comparatur.*

CONCIO I.

MULTIPLEX LIBER HOMINI PROPOSITUS.

- I. Mundus. — II. Lex scripta. — III. Christus. — IV. Deipara. — V. Conscientia. — VI. Liber vitæ.

THEMA.

Liber generationis Jesu Christi. Matth. I.

Scitis auditores, pueros in scholis non uno tantum libro uti, sed pro ratione profectus accipere a magistris suis libros. Primo, inferioris, deinde,

altioris disciplinæ. Incipiunt ab alphabeto; deinde, addiscunt nomenclaturam; tum, pergunt ad principia, etc. Ita etiam Deus, quo instrueret mortales in sui cognitione, et recta vivendi ratione, plures illis providit libros, quibus eos ad disciplinam magis magisque perfectam gradatim perduceret. Primo, mundum istum, veluti alphabetum; deinde, legem scriptam; post hæc, Filium suum, qui viva voce doceret, etc. Hujusmodi libros aliquot nunc lustrabimus.

I. Liber primus est mundus. Sic enim eum appellavit Mercurius Trismegistus, gentilium veluti Moyses, cujus hæc de mundo est sententia: *Universum inquit, est liber divinitatis, sæculumque hoc sublustre est speculum divinatorum.* S. Joannes etiam Apocal. cap. VI. cælum insinuat modo esse velut librum explicatum, c juxta id. Psal. XVIII. *Cæli enarrant gloriam Dei* qui tempore adventantis judicii claudetur et involvetur. Ergo cæli velut tabulæ sunt, elementa folia, creaturæ aliæ voces, aliæ dictiones et sententiæ, tempora numerus paginarum, etc. quibus non solum divinæ institutionis doctrina, sed etiam, ut apostolus ad Roman. 1. ait: *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas.* Sicut enim palatium summa arte extractum et imago optimis coloribus et magna industria perfecta ostendit excellentiam artificum: ita mundus iste et res omnes, quæ sub sensum cadunt, ostendunt aperte excellentiam sui opificis. Nam ejus de nihilo creatio Dei potentiam; mira ejus dispositio, ordo et concordia tam disparium naturarum, subtilitas item et artificium, quod in omnibus rebus præsertim animantium structura cernitur, Dei sapientiam; copiosa necessariorum provisio Dei bonitatem; regimen et moderatio, rarissimus ordo cælorum et motus, Dei providentiam; magnitudo terræ, maris, montium et cælorum, Dei magnitudinem et immensitatem; motuum temporumque fluxus ac cælorum revolutio Dei æternitatem; pulchritudo solis, lunæ, stellarum, florum et aliarum rerum omnium ejus pulchritudinem; summa cujusque rei in sua specie perfectio, ejus perfectionem indicant. Si vero simul omnia considerentur, tamquam integrum opus ejus, manifeste ostendunt ipsum esse bonum quoddam infinitum, in quo omne genus honorum excellentissime continetur, ac proinde ipsum esse super omnia amandum et colendum. Quam ob causam omnes creaturæ dicuntur laudare et benedicere creatorem, quia quantum in ipsis est, totam naturam rationalem ad hoc excitant. Propterea etiam Deus hominem erectum fecit, et in medio mundi posuit, ut omnia in suo conspectu habere, adeoque omnia hujus libri folia volvere et perlustrare posset, vultumque suum cum toto corpore undique circumferre, labentia ab ortu in occasum sidera spectare, etc. In hoc libro assiduus versabatur magnus ille Antonius, qui interrogatus, quo in libro studeret, respondit: *Quem librum lego, universus hic mundus est,* Athanasius, in vita, et Socrates, lib. IV. hist. c. XVIII. Similiter S. Bernardus, qui profectum suum silvis et agris adscribebat, adjiciens alios se magistros non habuisse

nisi fagos et quercus, l. I. vitæ, cap. IV. Ejusdem libri sedulus inspector et lector fuit S. Franciscus; imo et philosophi ipsi Aristoteles, Plato, Socrates et alii. Verum enim vero licet mundus iste pulcherrimus liber sit, multis tamen partibus imperfectus est, et umbratica tantum Dei lineamenta monstrat, colores vivos non representat, necdum ea, quæ naturæ terminos transcendunt, et quibus ab bonum perenne possumus pervenire. Ad hæc plerique mortales, puerorum instar, figunt solum obtutum in aureis quibusdam hujus libri litteris, sensum et intelligentiam minime penetrantes.

II. Liber secundus, idcirco alterum eumque accuratorem librum providit homini Deus, legem scilicet scriptam, qua distinctis et expressis verbis ac veluti vivis coloribus seipsum, et quidquid ad bene beateque vivendum spectat, proposuit, scripsit, dictavit mediante Spiritu sancto: qui liber quanto priore illo clarior, accuratior et ad movendum efficacior, tanto et præstantior est, de quo Baruch IV. dicitur: *Hic liber mandatorum Dei, et lex quæ est in æternum.* Coluit hunc Sanctus Carolus Borromæus, dum s. Scripturam quasi Dei oracula, non nisi nudo capite et flexis genibus venerabundus lectitabat. Idcirco olim in templis erant duo sacraria, in quorum dextro s. eucharistia, in sinistro vero asservabatur s. Scriptura, ut videre est apud Sanctum Paulinum Nolanum episcopum, ep. XII. ad Severum. Ea propter etiam S. Gregorius, lib. IV. ep. LXXXIV. Theodorum (licet non theologum, sed medicum) reprehendit, quod s. Scripturam legeret negligentius: *Imperator, inquit, cæli, Dominus angelorum et hominum pro vita tua tibi epistolas suas transmisit, et tu illas ardentem legere negligis; quid est enim Scriptura, nisi quædam epistola omnipotentis Dei ad suam creaturam?* Certe Judæi miris modis venerantur biblia sua: cavent ne illotis ea contrectent manibus: osculantur ea, quoties claudunt vel aperiunt; non in eo, quo jacent biblia, scamno sedent: et si in terram ea ceciderint, integrum diem jejunt. Quid faciant Christiani præsertim evangelio, quod ex ore ipsiusmet Filii Dei proprio hauserunt? Hic liber est quem comedere jussus est Ezechiel a Domino, Ezech. cap. III. *Factusque est in ore ejus primo sicut mel dulcis, et post paulo tamen post: In ventre amarus, et XIV. ad instar videlicet pilularum, quæ foris auro et saccharo obductæ deglutuntur cum suavitate, sed paulo post ventrem lacerant et torquent, quamquam ad sanitatem, non ad ægritudinem.* Ita omnino liber s. Scripturæ: *Dulcis est rationi, amarus sensualitati,* ut ait D. Thomas, in Apoc. X. Item aureus et dulcis est legen-

tibus, interim tamen mentem eorum salubriter amaricat et torquet, ita ut abeant amari cum Ezechiele, quocumque eunt, donec ad sanitatem redeant. Sic amaricarunt ventrem Antonii verba illa: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, etc.* sic ventrem S. Francisci verba illa: *Nolite portare sacculum aut peram:* sic ventrem Augustini verba illa: *Non in commensationibus et ebrietatibus, etc.* sic illa ventrem Simeonis Stilitæ: *Beati pauperes spiritu, etc.* siquidem his auditis sæculo renuntiarunt, et Deo ferventer et generoso animo militare cœperunt.

III. Liber tertius; cæterum, quia etiam iste liber scriptæ videlicet legis, non adeo multus movet; quia scilicet viam tantum monstrat, non præit, idcirco Deus providit humano generi alium insuper librum, eumque vivum et omnibus virtutum coloribus illustratum, Christum inquam; quem designatum volunt aliqui per librum illum Apocal. V. *Scriptum intus et foris, signatum sigillis septem.* Dictatus et scriptus est hic liber, cum Deus ab æterno eructavit verbum bonum; ligatus est in utero materno vinculo unionis hypostaticæ, quando Verbum caro factum; præcisus in circumcissione; concussus in passione fustibus et colaphis; compressus in bajulatione crucis; colore tinctus, quando sanguine respersus; in pulpito positus et explicatus, quando in crucem nudus elevatus. Ibi scriptus fuit intus et foris, id est, internis et externis doloribus, vel intus per amorem, foris per dolorem et vulnera. Septem ejus sigilla, septem sunt mysteria, ut vult S. Hilarius, præfat. in ps. incarnatio, nativitas, passio, resurrectio, ascensio, missio Spiritus sancti, adventus ad judicium. In hoc ergo libro, non amplius mortuo, sed vivo, proposuit nobis Deus non regulam tantum, sed exemplar etiam omnis generis virtutum, præcipue in monte Calvariæ. Unde nos compellere merito potest verbis, Exod. XXV. *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Aspice, superbe, humilitatem et contemptum magistri tui pendentis inter latrones, et fac secundum exemplar ejus; aspice, avare, nuditatem Domini tui; aspice, libidinosæ, dolores; aspice, invidie, charitatem, qui pro inimicis oravit et mortuus est; aspice, iracundie, mansuetudinem, qua sicut agnus coram tondente se obmutuit; aspice, gulose, sitim, fel et acetum; aspice, piger perseverantiam in cruce et fac secundum exemplar.

IV. Quartus liber; verum qui etiam adhuc dicere aliquis possit librum illum (Christum) difficiliorem esse, nec pro omnium captu; siquidem vita Christi non puri hominis, sed Dei hominis vita fuit; idcirco scripsit et proposuit nobis Deus

quartum insuper librum, Deiparam videlicet, quæ homo tantum fuit. De hac intelligunt aliqui locum Isaïæ VIII. ubi ait Deus propheta: *Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis. Velociter spolia detrahe, cito prædare.* Hoc autem nomen jussus est propheta ibidem dare Emmanueli. Ergo Maria liber ille est, in cujus virgineo utero scripsit Spiritus Emmanuelem, uti exponit S. Antonius, IV. p. tit. XV. cap. V. § 1. Unde jure vocari potest liber generationis Jesu Christi, quia Christus in et ex illa genitus est. Porro quatuor sunt potissimum, quæ faciunt et ornant librum. Operimentum, clausura, candor papyri, calami vel typi elegantia: quæ omnia in Maria videre est. Ligatura seu operimentum eam cohonestans et defendens a calumniis fuit status conjugalitatis, ita eam obserans, ut ne sponso quidem facultas eam legendi esset: candor papyri est ejusdem puritas ab omni peccati labe aliena: scripturæ elegantia est primo, Dei et divinatorum attributorum representatio, quæ cernitur in Maria; secundo, virtutum ejus copia ac præstantia. Eas vidit et prælegit nobis S. Amb. l. de virginibus, cum ait: « Sit vobis tamquam in imagine descripta vita Mariæ. Habetis in ea probitatis exempla, ut sciatis, quid eligere, quid debeatis vitare. Virgo erat: non corpore scilicet tantum, sed mente, quæ nullo doli ambitu sincerum violaret affectum: corde humilis, verbo gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis, non hominem, sed Deum quærens, etc. » summa, si qua virtus est, eo in libro scriptam esse nullatenus dubitemus, quia sicut princeps librum precatorem pulcherrimo caractere describi curat, ita decuit, ut liber iste Christo tam eleganti scriberetur calamo, quanto tantum Dominum decuit. Ideoque bene propheta dicitur: *Sume tibi librum grandem,* quia nulla virtus est quæ in Deipara non fuerit, et quidem eleganter scripta. Unde subditur: *Scribe in eo stylo hominis,* id est, eleganter et bene, non ut ungue gallinæ scribunt. Audi quid scripserit Spiritus sanctus per Davidem veluti per calamum, Psal. XLIV. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis, speciosus forma præ filiis hominum:* deinde describit Deiparam: *Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate, etc.*

V. Quintus liber. Præter hos alius interim liber seu enchiridion potius est homini christiano crebro inspiciendum et sedulo legendum, conscientia videlicet, quæ quidem nunc non nisi sibi patet, in ultimo vero judicio patebit toti mundo, quomodo sole oriente pateant omnia, quæ prius

sub noctem latebant. Ita enim de ea loquitur Daniel, c. VII. *Judicium sedit et libri aperti sunt*: et Joan. Apoc. XX. *Vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt*, hoc est, ut ait S. Hier. in dictum Danielis locum: *Conscientiæ et opera singulorum in utramque partem, vel bona vel mala omnibus revelabuntur*; et S. Basilius, lib. de vera virginit. « Quæ prius corpore, inquit, quasi veste contecti minime habere putabamur, ea nuda se omnium oculis ingerent, nullusque jam vel negationi vel defensionem erit locus, quin ipsa cernentur opera in suo auctore conspicua. » Sic Basilius. « Quid tunc nobis miseris fiet, ait S. Chrysost. hom. V. in ep. ad Rom. cum omnia orbi universo palam facta in tam aperto, tamque illustri theatro denudata, hominum partim nobiscognitorum partim incognitorum oculis subjiciuntur? Et Ambros. in apologia David: « Væ mihi quia latere cupio et latere non possum: quomodo enim latebo, qui inscripta in peccatore meo gero meorum judicia peccatorum? » Viderit ergo unusquisque ut hunc librum suum velut enchiridion semper manibus tractet, juxta id Davidis, Psal. CXVIII. *Anima mea in manibus meis semper*; deinde, crebro inspiciat et accurate corrigat, ac ne seipsum quis decipiat, spirituali suo patri seu confessario aperiat, et sincere perlegendum exhibeat.

VI. Liber sextus. Superest ultimus liber, qui soli Deo patet, estque liber vitæ seu memoria divina, in qua veluti in libro continentur nomina et opera eorum, qui vitam obtinebunt æternam. De hoc Daniel XII. legimus: *Salvabitur populus tuus omnis qui inventus fuerit scriptus in libro*: et Apoc. XX. *Et alius liber apertus est, qui est vitæ*: et Luc. X. *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in caelis*: idem Exod. XXXII. *Aut dele me de libro tuo, quem scripsisti*: et Psal. LXVIII. *Deleantur de libro viventium*: denique, ad Philip. IV. *Quorum nomina sunt in libro vitæ*. Ex quibus locis colligimus alios in eo libro scriptos esse inchoate, qui in gratia quidem sunt, non tamen perseveraturi: alios vero complete, qui in gratia scilicet morituri sunt. Modo clausus est hic liber, aperietur vero eo ipso, quo omnes salvandi resurgent in gloriosis corporibus et rapientur Christo obviam in aera, ibique judici ad dexteram adstant; hinc enim manifesti erunt electi. Atque hic est liber involutus: *Scriptus intus et foris* (seu ante et retro, ut Syrus, sive in dorso et ventre, ut Arabicus vertit) *in quo scriptæ erant lamentationes, carmen et væ*, Ezech. II. *Involutus est, quia usque ad diem iudicii occultus: scriptus intus seu ante et in ventre, nominibus electorum: foris seu retro et in dorso nominibus reproborum*. Scriptæ

sunt in eodem lamentationes, id est, pœnitentia peccatorum; carmen, id est, damnatio reproborum, ut exponunt ibi S. Hieronymus, et S. Gregorius, hom. IX. qui pie concludens subdit: « Quid igitur, fratres, quid agendum est miseris, nisi ut evigilemus ad hujus verba voluminis, et mala, quæ nos egisse meminimus, fletibus puniamus; ut per lamenta pœnitentiæ perveniamus ad carnem vitæ? Ne si affligi modo pœnitendo nolumus, væ postmodum sine fine sentiemus. » Hæc ille.

CONCIO II

QUOMODO SINE INJURIA ORIGINALI PECCATUM AD POSTEROS ADÆ TRADUCATUR.

I. Quia Adam omnium caput naturale. — II. Quia Adam omnium caput morale. — III. Quia pactum intercessit æquum. — IV. Quia noverat Deus remedium. — V. Quia inde nos instituitur.

THEMA.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. Psal. L.

Valde diversimode loquitur de conceptione Virginis Mariæ Ecclesia in hodierno officio; et de sua S. Job, in cap. III. libri sui. De conceptione Virginis Mariæ canit hodie Ecclesia: *Conceptio tua Dei genitrix Virgo gaudium annuntiavit universo mundo*, item: *Cum jucunditate conceptionem B. Mariæ celebremus, etc.* At vero S. Job de conceptione sua imo omnium nostra ait: *Pereat dies, in qua natus sum, et nox in qua dictum est: Conceptus est homo. Sit nox illa solitaria, nec laude digna*; quasi diceret: Sit obscura et lugubris, in qua non luceat stella, non cantet gallus, non latent canes, nec audiatur sonus campanæ aut ullius symphonie. Profecto istæ voces valde sunt dissonantes: quis illas concordabit? Celebrat hodie Ecclesia cum jucunditate et lætitia conceptionem Beatæ Virginis, quia ea non solum velut aurora hodie prodit, solem mox venturum mundo prænuntians, sed etiam quia ipsa caret tenebris et macula peccati originalis, uti habet jam fere communis Ecclesiæ consensus. Deplorat vero et detestatur suam conceptionem S. Job, quia in originali peccato conceptus erat quomodo et nos omnes (dicit enim apostolus ad Roman. V. *Per unum hominem, peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit*). Idecirco subjungit: *Quia non conclusit ostia ventris, qui portavit me*. Hæc enim ratione fuissent etiam conclusa ostia peccato. Præstaret autem non nasci, quam Deum offendi, vel peccato originali tantum. Quod si igitur nos ha-

bemus, cur hodierno die de conceptione Virginis gaudeamus; altera tamen ex parte habemus, cur de conceptione nostra ploremus, quoniam ea nos præcipitavit in peccatum originale, et in miseras plurimas inde consequentes. Sed ut nunc relinquamus conceptionem immaculatam Virginis: Quomodo, dicit aliquis, nos rei sumus peccati originalis? Numquid non injuria sit nobis, si peccatum illud a primis nostris parentibus in nos eorum posteros derivetur? Absit ut injuriam faciat nobis Deus. Quomodo autem non faciat, audiamus.

I. Quia Adam omnium nostrum fuit parens, et caput naturale, in quo ut in parente, et sub quo ut sub capite omnes eramus. Constat autem tam in naturalibus, quam in politicis vitium radicis in surculos, et capitis in membra traduci posse. Sic communi lege gentium filius sequitur conditionem parentum; filius viri nobilis est nobilis; plebeii plebeius; filius parentum servorum servus; ingenuorum ingenuus; infamium infamis. Historici naturales affirmant, ut refert Granat. lib. III. introd. in symb. c. III. Si quis vitem plantare volens, radici inferat aliquid scammonii, omnes uvæ, quæ ex ea nascentur, tam noxias fore et venenosas, quam ipsum scammonium. Ad eundem modum possumus imaginari scammonium peccati, quod in primum hominem (qui radix erat et principium omnium aliorum) incidit, vitium et toxicum suum in omnes ejus filios derivasse. Unde Sanctus Augustinus ait: « Tunc perit humanum genus, cum unus homo, in quo omnes erant, seipsum perdidit. Qualis enim ille per peccatum factus est, tales et nos omnes genuit. »

In politicis etiam multoties contingit ut rei sint debitorum, quæ parentes contraxerunt: ut cum parentes æs alienum contraxerunt, filii solvere cogantur. Et ob id S. Basilius vocat baptismum æris alieni dissolutionem, quia scilicet per ejus susceptionem solvere debemus debitum, quod parentes nostri primi contraxerunt. Sic fit sæpe, ut prodigus pater domum et fundos omnes liberis suis abiguriat, ut propterea posteri ejus mendicare perpetuo debeant. Ad eundem modum parentes nostri prodegerunt non sibi tantum, sed et omnibus suis posteris justitiam originalem. Cum nobilis quispiam regie arcis præfectus prodicionem aliquam molitus est adversus regem suum, amittit non modo arcem, sed et nobilitatem et splendorem familiæ suæ, quam antea habebat, nec sibi tantum, sed omnibus suis posteris: ita primus homo committens prodicionis et rebellionis crimen contra Dominum ac Deum suum, magnam illum dignitatem, qua donatus

fuerat, justitiam scilicet originalem et præfecturam paradisi, et ipse amisit et nos omnes per illum.

II. Quia Adam fuit etiam omnium nostrum caput morale, ita ut quod ipse faceret, omnes nos facere censeremur, quantum attinet ad præcepti divini, de ligno scientiæ boni et mali, observationem, vel transgressionem. Fuit autem Adam caput nostrum morale, sive ex pacto, quod Deus cum natura humana constituit, ut indicari videtur Ose. VI. ubi dicitur: *Ipsi autem, sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt in me*: ubi S. Hieronymus ostendit pactum illud factum esse cum natura humana. Et S. Fulgentius, libro de incarnat. Verbi, cap. XIII. ait, pepigisse hoc fœdus Deum cum natura humana, ut peccantibus primis parentibus omnes peccarent. Idque explicant scholastici exemplo regis, qui alicui tradidit arcem custodiendam ea lege, ut si ipse peccaret, omnes posteri privarentur ea arce: sive ex natura rei, quia enim Adam erat primus noster parens, a quo omnes dependebamus et accepturi eramus vitam, erat sapientissimus et præditus omni scientia; erat in gratia constitutus et perfectus, habebat omnes potentias suas subditas rationi, erat etiam observatio illius legis facillima, et denique Deus optimus maximus erat auctor illius præcepti. Idecirco si ab unoquoque nostrum quæsitum fuisset, utrum in et cum Adamo aliam subire in præcepti observatione, sive ad stabiliendum sive ad perdendum statum innocentie; aut pactum id inire vellemus, omnes sine hæsitatione consensissemus, et ita omnium nostrum voluntates in voluntate Adami constituimus, ac proinde interpretative cum Adamo peccavimus, et rei prævaricationis sumus. Quam rem duplici exemplo declarat II. S. Thom. 1. q. — LXXXI. art. 1. Primum est membrorum, quæ in uno corpore moventur aliena voluntate, siquidem voluntas animæ est voluntas etiam membrorum, et ita actus homicidii imputatur manui, ut est membrum corporis, motum ab anima ut instrumentum, etc. Alterum est civium, qui id omnes facere censentur, quos ipsorum capita faciunt: hæc si rebellent contra Dominum suum, omnes rebellasse censentur: si se ad aliquid præstandum in futura sæcula obligent, omnes eorum posteri censentur obligati.

Quoniam igitur nos omnes vel pactum id cum Deo inivimus, vel sine pacto ex ipsa rei natura fortunam nostram in voluntate Adami constituimus, ut esset caput nostrum inde nulla nobis fit injuria, nec Deo imputari debet, sed nobis quod rei prævaricationis nascamur, et nisi per baptismum expiemus culpam, ut rei talis peccati ple-

etatur. Ex quo etiam patet quod Adami alia peccata sequentia ejusque pœnitentia, non possint similiter in nos derivari: quia lapso non ita essemus amplius confisi, ejus vero pœnitentia fuit ut privatæ tantum personæ, quia non fuit amplius capitis, item mera Dei misericordia.

III. Quia Deus pactum hoc, sive expressum sive tacitum constituendo cum genere humano, nequaquam inique nobiscum egit, licet propria voluntate non assenserimus quia id non vergebat nobis in pœnam damnationis, quæ appellatur pœnæ sensus, sed tantum in pœnam damni, et privationem magnorum honorum gloriæ scilicet justitiæ originalis et paradisi, etc. At rursus non vergebat nobis in privationem boni nobis debiti sed gratuiti tantum et prorsus indebiti; siquidem gloria, justitia originalis, paradisi, etc. erant bona mere gratuita. Quare licet Adamus omnes nos perdidit, non coniecit tamen in infernum, paratum diabolo et angelis ejus, iisque qui personale peccatum mortiferum habent sed tantum in limbum puerorum, ubi sola pœna damni est. Quis autem diceret, posteris illius præfecti regii, qui ut supra dictum, ob delictam perdidit præfecturam sibi et illis, injuriam a rege fieri? Non sunt addicti ulli supplicio positivo, nec ablatum est illis bonum debitum, sed gratuitum; licet postea mendicare cogantur: nulla igitur eis facta a rege injuria. Imo vero decebat ut sub aliqua tali conditione tam grande bonum promerendum et conservandum nobis Deus proponeret; ut nisi statutæ ejus legi obediret parens noster, et fidelitatem ei servaret, eo privaretur cum omnibus suis posteris. Universale enim hoc Dei decretum est, ut gloriam et bona non conferret nisi dignis et bene meritis. Sic etiam apud homines, aureum vellus, præclara insignia, privilegia, honorum tituli, etc. cum alicui ejusque familiæ conferuntur a summo pontifice, imperatore vel rege, sub tali conditione conferuntur, ut ipsi pontifici, imperatori vel regi perpetuo sit fidelis ipse et ejus posteris, nihil unquam contra eos hostile moliat, etc. alioqui ipsum ejusque familiam talibus gratiis certo spoliandam. Cum ergo parentes nostri primi hanc Deo fidelitatem et subjectionem non præstiterint, nulla humano generi facta est injuria, si aureum vellus, ei non debitum, justitia scilicet, originalis ablata est.

IV. Quia sciebat Deus vulnere huic, licet universali, facile remedium adhibere, et lapsam naturam humanam iterum erigere; quodque amplius est, saniolem reddere et feliciorlem, quam ante lapsum fuerit: id quod etiam fecit per Filium suum, qui alioqui incarnatus, vel saltem passus non fuisset. Hinc apposite in baptismo,

qui in remedium adhibetur originalis peccati, baptizandus mergitur in aquam (juxta antiquum ritum) et mox iterum emergitur, ut indicetur, humanam naturam mersam quidem esse per peccatum, sed Dei misericordia et incarnatione mox iterum extractam de perditione. In hunc modum nobilissimæ aliquæ familiæ et antiquissimæ in feria quinta cœnæ Domini excommunicantur a summo pontifice, quia earum progenitores hostile aliquid in Ecclesiam, vel pontifices machinati sunt. Sed post unam horam statim iterum absoluntur et Ecclesiæ restituntur, ut ita justitia simul et misericordia Ecclesiæ appareat. Miserat aliquando Deus Jeremiam in domum figuli, ut ibi audiret verba ejus, Jeremiæ XVIII. Cum igitur descendit in domum figuli Jeremias, faciebat figulus opus super rotam, et dissipatum est vas quod ipse faciebat e luto: fecit igitur mox aliud vas sicut placuerat ei, firmitus ac pulchrius. Tum Dominus: *Numquid sicut figulus iste, inquit, non potero vobis facere, domus Israel? Ecce sicut lutum in manu figuli sic vos in manu mea.* Mystico sensu quis non videt Adamum et in ipso naturam humanam vas primum illud fuisse, quod statim ac factum est luto divinis manibus, dissipatum est? Sed quam cito et facile reparavit hoc damnatum figulus, cum ex eodem luto fecit aliud vas pulchrius et firmitus, tam cito et tam facile reparavit Deus humanam naturam, dum ex ea vas melius Christum scilicet fecit, et in ipso illud ipsum lutum quod in primo vase dissipatum erat, ita exaltavit et ornavit ut prius vas splendore et soliditate longe superaret.

Primo, Adam omnes perdidit; Christus omnes reparavit. Secundo, Adam unicum peccatum ad posterum transmisit; Christus ab omnibus peccatis actualibus eosdem liberavit. Tertio, Adam unum malum, quod nullo modo intendi potest scilicet peccatum originale, propagavit; Christus abundantiam gratiarum effudit. His addo uberiolem et potentiolem esse gratiam Christi, quam fuerit peccatum Adæ. Quarto, quia Adæ peccatum tantum pœnam damni in nos induxit; Christus et a pœna damni et a pœna sensus, quæ actualibus peccatis debetur, nos liberat. Rursus ex Adamo trahimus concupiscentiam, sed per Christum illa facta est materia magnæ tam luctæ quam victoriæ et triumph; eamque per gloriam in cœlo Christus extirpabit. Quinto, per Adam amissa est gratia, qua homo perseverare posset; per Christum datur gratia crebrior et uberiolem, ut in tanta infirmitate, inter tot hostes fortior stet, et actu perseveret. Ita S. Augustinus toto libro de bono perseverantiæ. Sexto, per Adam omnes morimur temporaliter; per Christum resurgemus ad vitam

tum animæ, tum etiam corporis immortalem et gloriosam. Septimo, non peccatum Adæ, sed gratia Christi se extendit ad B. Virginem, quæ est mare gratiarum, et plus habet gratiæ, quam omnes homines simul. Addit Pererius, Suarez et alii, etiam ad angelos, Christi gratiam se extendisse, eosque per merita Christi justificatos esse, ad quos peccatum Adæ pertingere non potuit. Octavo, licet Adam actu plures inficiat, quam ex Christo renascantur, Christi tamen gratia quoad sufficientiam et oblationem se extendit ad omnes, non tantum ex Adamo genitos, sed quoquo modo producibiles, verbi gratia, si Deus eos de novo crearet. Nono, per Adamum reducti sumus quasi ad statum puræ naturæ; per Christum elevati sumus ad statum magis spiritualem et sublimiolem, quam in quo Adam fuit conditus, et ad vitam plene cœlestem. Decimo, per Adam facti sumus similes bestiis; per Christum angelis: imo natura nostra in Christo et B. Virgine exaltata est super omnes angelorum choros. Undecimo, Adam privavit nos ligno vitæ; Christus dat panem, qui de cœlo descendit, et dat vitam æternam, puta seipsum totum, Deum scilicet et hominem in cibum dat nobis in eucharistia. Duodecimo, Adam privavit nos gratia justitiæ originalis; Christus dat copiam gratiarum et virtutum. Primo, quia dat virtutes, quæ non fuissent in statu innocentiae, scilicet, patientiam, pœnitentiam, martyrium, virginitatem, apostolatam, virtutes religiosas. Secundo, harum et aliarum omnium majorem quam fuisset in statu innocentiae, dat copiam, intensionem et continuum augmentum. Atque ita Deus magnam quidem ostendit justitiam, cum permisit humanum genus labi in Adamo: sed majorem ostendit misericordiam, cum idem tam feliciter et tam gloriose erexit per Christum. Quæ causa est, quod in benedictione cerei canere non dubitet Ecclesia: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem! O certe necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est!*

Denique, si aliena culpa (Adami) perdidit sumus, aliena etiam gratia (Christi) liberati sumus, et liberamur adhuc in baptismo cum patrini pro nobis fidem profitentur. Unde apostolus ad Rom. V. ait: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam, justii constituuntur multi:* idemque prædixit Isaias, c. LII. *Grati venundati estis, et sine argento redimemini.*

V. Quia faciebat hic lapsus noster ad instructionem nostram. Primo, cum enim agnoscimus fragilitatem humanam; siquidem primus homo, parens noster tam sapiens, tam munitus spiri-

tualibus præsidiiis, tam facile præceptum tam cito transgressus est, et nos, qui ei virtualiter voluntates nostras tradidimus, una secum perdidit. Quis in posterum non caveat salutem suam in alio homine constituere, et velut in baculo arundineo confidere, si tam fortis baculus nos non sustentavit? Temere igitur agunt, qui salutem suam non ipsi operantur, sed in aliorum precibus et operibus bonis ponunt: *Maledictus homo, qui confidit in homine, ait Jerem. c. XVII. et ponit carnem brachium suum.*

Interim vero etiam nobis timere debemus, et cum timore ac tremore salutem nostram operari: si enim Adam tam sapiens, tam perfectus, et passionum suarum dominus, tam facile præceptum tam cito est transgressus, quanto facilius id nos in propria persona fecissemus? Et quam facile fieri potest ut etiamnum seducamur, licet modo perfecti simus?

Secundo, habemus perpetuum humilitatis nostræ monumentum, quoniam primus parens per superbiam cecidit et non solum se, sed etiam omnes nos, velut ingens quercus plurima arbuta casu suo prostravit? Qui nisi a Christo misericorditer erecti essemus, semper jaceremus et quidem merito, nulla nostra injuria. Cujus rei monet nos Ecclesia, cum in die cinerum cinere nos aspergit, dicens: *Memento homo quia pulvis es, Gen. III.* Sicut, si diceret aliquis puero, qui ob delictum parentum in servitutem redactus, et postmodum gratia principis iterum libertate donatus est, cum inciperet superbire: *Memento quis fueris, et cujus gratia e servo ingenuus factus sis.* Habet homo ex una parte unde extolli possit, imaginem Dei in se; ne tamen hinc superbiret, appensa est ei humilitatis nota, et quasi servitutis stigma, quod videlicet de statu suo lapsus sit in foveam servitutis.

Tertio, cognoscimus peccati gravitatem, quod non tantum hospitem suum, sed etiam totam ejus sobolem inficit, necdum existentem. *Per unum hominem, inquit apostolus ad Rom. V. peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors: et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* O mortiferum venenum, quod etiam minutissimas corporis venulas tam facile pertransiit! Hæc nimirum est illa maledictio, quam induit Adam sicut vestimentum: *Et intravit sicut aqua in interiora ejus, et sicut oleum in ossibus ejus, Psal. CVIII.* Hæc illa uva acerbissima, de qua Proverbium illud ferebatur, apud Ezech. cap. XVIII. *Patres comederunt unam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt.* Hæc illa planta mala, quæ, quia a Patre cœlesti plantata non fuit, de paradiso transplantari debuit, ita ut